

est sanguis, & diversimodè coloratus, magis tamen albus.

Ne verò putas, menses decolores etiam pertinere ad nostrum affectum; ad menstruorum enim verorum classem isti reducuntur, & depravati sunt, rubro tamen colore etiamnum præditi; menses verò albi substantiâ & colore ab ipsis dividuntur, autore *Sennerto lib. 4. de morb. mul. & infant. part. 2. sect. 2. cap. 12.*

Ratione temporis, quô fluere solent albi menses, mensium fluxu naturali etiam discriminantur; cùm hi non transgrediantur ordinem, sed maneant certis temporibus inclusi, & ordinariô circuitu iterum emergant, modò plusculis, modò paucioribus diebus fœmineo generi negotium faceſſentes.

Fluit autem uteri purgamentum modò continenter, modò nullò ordine certâve periodò, teste *Roderic. à Castro lib. 1. de morb. mul. c. 14.* & aliis ante, aliis post menses; gravidis quoque, & quibus menses suppressi sunt, accidit.

Rarò virginibus supervenit; imò penitus immunes esse virgines ab hoc malo *Montanus* affirmat, permotus adſtrictione & angustia meatuum, per quos non emanare possunt albæ humiditates in virginibus. Causam autem hanc *Roderic. à Castro* non dicit inferre, quòd nunquam his contingant, sed ſolū, quòd rarò. A ſe enim viſam esse octo annorum puellam hoc morbo obſeffam, teſtatur loco citato. Idem *Fernelius lib. 5. παθολ. cap. 16.* obſervavit. Potius tamen, inquit *Hieronymus Montuus in ſua Anſceve tom. 4. c. 32.* natū grandiores fœmellas, quàm novellas affectus hic moleſtat.

CAPUT II  
realem affectûs definitio-  
nem format.

Per-